

Atti del consiglio di San Gimignano : richiesta di parere su deliberazione  
(anno 1253)

Dominus Coraccius iudex communis Sancti Geminiani vice et nomine domini Iacobi de Pulliano potestatis Sancti Geminiani petiit consilium a consiliariis suis et dicti communis in palatio plebis Sancti Geminiani ad sonum campane pridie kalendas iunii more solito congregatum, si eis videtur et placet quod fiat subsidium et iuvamen comuni et hominibus de Florentia per comune Sancti Geminiani et homines, in eundo in exercitum Florentinum contra comune et homines de Pistorio; et quid placet eis dicant et consulant in presenti.

Forciore Pellarii consuluit et dixit quod dominus Iacobus potestas Sancti Geminiani cum capitaneis populi dicte terre hodie eligat viii milites et C pedites Pistorium destinandos in subsidium et iuvamen communis et hominum de Florentia; qui milites unusquisque habeat duos equos et pro qualibet die x soldos de bonis communis et ipsi pedites quilibet habeat ii soldos pro qualibet die ; et solvantur per x dies omnes predicti.

---

*Documenti sull'antica costituzione del comune di Firenze*, pubblicati a cura di P. Santini, Firenze 1952, vol II, p. 334

De pena eius qui fuerit inventus post tertium sonum campane Beltrami.

Ordinamus quod si aliqua persona inventa fuerit de nocte, post trinam pulsationem campane Beltrami usque ad pulsationem campane communis que de mane pulsatur, nisi iret pro presbitero vel medico pro infirma persona, vel cum lumine ignis accenso, vel nisi iret vel rediret a consilio civitatis, vel nisi rediret de alieno districtu, puniatur in viginti soldis; sed in casibus supra exceptis non puniatur. Sed si aliqua persona commiserit aliquod maleficium de nocte offendendo aliquam personam, vel assaltum faciendo, vel proiiciendo lapides contra aliquam personam vel in domum alicuius, vel faciendo talliam, guastum, incendium, furtum, penis puniatur expressis in constituto; et insuper puniatur arbitrio potestatis usque in decem libr. Et tunc credatur tantum uni custodi de accusis.

Statutum potestatis comunis Pistorii (1296) l. III rubr. LXVI

A cura di Ludovico Zdekauer, Pistoia 2002, vol. III, p. 122

Quod capitaneus faciat custodiri civitatem et quod non permittat, nisi fidelem romane ecclesie, esse in aliquo officio

Item ordinamus quod capitaneus populi qui pro tempore fuerit teneatur precise vinculo iuramenti supra omnia alia intendere et sollicitus esse per diem et per noctem custodie civitatis Pistorii per se et alios ad honorem sancte romane ecclesie. Quam custodiam faciat et fieri faciat, quam melius poterit, prout placuerit et videbitur ei et anzianis et capitaneis partis ecclesie, et maxime tempore ciuiuslibet cavalcate; et non ponere vel poni permettere ad ipsam custodiam vel alium officium civitatis, nisi fidelem et devotum sancte romane ecclesie et oriundum de civitate vel districtu Pistorii et non aliunde. Et teneantur anziani retinere claves portarum circularum de nocte.

Breve et ordinamenta populi Pistorii (1284), l. I, r. CVIII

A cura di Ludovico Zdekauer, Pistoia 2002, vol. II, p. 41



## De vestibus, giois et ornamentis prohibitis non portandis

Nulla persona cuiuscunque conditionis etatis vel sexus possit vel debeat in Santo Miniato vel districtu, in domo vel extra domum deferre super se in aliqua veste, caputio vel cappellina, testeria vel ghirlanda, balteo vel scacciali, cintura vel alio quolibet guernimento seu munimento persone, aurum, argentum, ismaltum, perlas, vitrum, vaccaras, corallum. cristallum vel ambram vel alium quemlibet lapidem pretiosum nec super aliqua veste, caputio, cappellina, ghirlanda seu testeria habere vel deferre, figuras sive similitudinem alicuius animalis, arboris, fructuum, florum, frondinum vel alterius rei pittas sutas, contestas, suppositas, designatas vel infixas super predictis vel aliquo predictorum, nec induere, portare vel deferre, in domum vel extra domum, aliquam vestem , caputum vel cappellinam que sit ultra quam de uno panno, nisi essent dimidiate per longum, de panno laneo solum et tantum ex uno latere dextro vel sinistro quantum ex alio nec deferre vel induere, in domo vel extra domum, aliquod sciamitum seu vestem, capputeum, cappellinam vel testeriam de sirico.

da *Statuto del comune di San Miniato (1337)*, a cura di Francesco Salvestrini, Pisa, ETS, 1995, p. 453-454

*De stratis mastris et viis publicis et vicinalibus et pontibus actandis rubrica.*

Super stratis mastris, videlicet strata pisana, strata de Marcignana, strata de Fucecchio, strata de Sancta Cruce, strata de Castro Francho, strata de Platiglone, strata de Vallis Ebule de Castro Florentino et strata de Choiano, que et quante ipse strate sunt et protenduntur per districtum Sancti Miniatis et appendices, aptentur et manuteneantur et fiant per contratas corporis Sancti Miniatis et consueta comunia in locis consuetis, secundum terminus fixos et positos et ordinatos in ipsis stratis et qualibet earum, videlicet pro qualibet contrata corporis Sancti Miniatis et quodlibet commune districtus in locis ubi solita sunt aptare. Et super viis publicis et vicinalibus, super fontibus, super pontibus et cisternis communis et spetialum personarum, super foveis, ripis, carbonariis et muris et fortilitiis communis versetur et spetiale sollicitudinem prestet capitaneus habens circa predicta, omnia et singula, offitium amplum, generale, liberum in omnibus et per omnia que ad utilitatem et expeditionem et conservantiam et reparationem et reaptationem viarum et stratarum ipsarum et omnium predictorum viderit expedire.

da *Statuto del comune di San Miniato (1337)*, a cura di Francesco Salvestrini, Pisa, ETS, 1995, p. 371

De pena euntium ad Castrum Florentinum vel eius districtum rubrica

Nulla persona de Sancto Miniato vel eius districtu seu habitans in Sancto Miniato vel eius districtu audeat vel presumat ire ad Castrum Florentinum vel eius districtum, nec portare vel conducere vel portari facere ad ipsum castrum vel eius districtum aliquod genus grascie, bestias vel res alias quocunque nomine censeantur, ad penam librarum quinquaginta pro qualibet vice. Quam penam si non solveret intra octo dies a die condepnationis facte vel a die qua fuerit in fortia comunis, si fuerit propterea exbannita, amputetur sibi pes, si fuerit masculus, et si fuerit femina amputetur sibi nasus ita quod a vultu separetur, et perdat bestias et res quas portaret vel conduceret vel portari seu conduci faceret. Et intelligatur ire, portare, ducere vel conducere vel conduci facere res predictas vel aliquam earum seu bestias ad dictum Castrum Florentinum vel eius districtum si fuerit visa vel inventa cum ipsis rebus vel aliqua earum vel cum bestiis vel sine, seu ipse res vel bestie invente fuerint a molendino veteri versus Castrum Florentinum, posito in villa Dogane, vel alibi ubicunque prope confines dicti Castri Florentini per medium miliare in districtu Sancti Miniati vel in dicto castro vel suis confinibus.

da *Statuto del comune di San Miniato (1337)*, a cura di Francesco Salvestrini, Pisa, ETS, 1995, p. 465-466



## 1° Compito

### CHE I FERRATORI E I MANISCALCHI FERRINO ED ESERCITINO LA MASCALCIA ANCHE NEI GIORNI DI DOMENICA E FESTIVI

Statuimus quod omnes mariscalchi et ferratores tam civitatis quam comitatus Florentie et eorum discipuli teneantur diebus dominicis et festivis et aliis quibuscumque diebus equos et alias bestias ferrare et mascalcire cuicumque petenti, ad penam librarum vigintiquinque, non obstante aliquo statuto artis facto vel fiendo pro quolibet contra faciente et qualibet vice; et quilibet possit de predictis accusare et denuntiare. Et quod Potestas teneatur de predictis inquirere et, ut dictum est, punire. Et quod ferratores et mariscalci non possint tollere vel petere ultra quam infra contineatur, scilicet pro quolibet ferro novo pro ferratura equi magni soldos duos, ronçini vel muli denarios viginti, et asini denarios quindecim.

[Statuto del Podestà del 1322-25, Lib. V, rub. 48, da *Statuti della Repubblica fiorentina*, editi a cura del comune di Firenze da R. CAGGESE, II, *Statuto del Podestà dell'anno 1325*, Firenze, Stab. Tipografico A. Ariani, 1921, p. 398]

## 2° Compito

CHE I FRATI GAUDENTI SIANO OBBLIGATI A PAGARE LA LIBBRA E  
A OTTEMPERARE A TUTTE LE ALTRE IMPOSIZIONI DEL COMUNE DI  
FIRENZE.

Statutum et ordinatum est quod milites sive illi qui dicuntur Fratres Gaudentes teneantur solvere libras et facere reales factiones Communis Florentie, et qui cessaverit solvere libras et factiones facere ei et eius filiis per Potestatem vel Capitaneum et Defensorem vel aliquos officiales aliquod ius non fiat, nec habere possint aliquod benefitium a Communi. Et hec habeant locum ad preterita et futura, non obstante in predictis aliqua sententia vel pronuntiatione que actenus in contrarium prolatâ ostenderetur; et si non essent alibrati, allibrentur secundum qualitatem eorum patrimonii, vel eorum filii et familie, ita quod de bonis eorum solvantur libre et factiones Communi Florentie.

[Statuto del Podestà del 1322-25, Lib. V, rub. 42, da *Statuti della Repubblica fiorentina*, editi a cura del comune di Firenze da R. CAGGESE, II, *Statuto del Podestà dell'anno 1325*, Firenze, Stab. Tipografico A. Ariani, 1921, p. 392]

### 3° Compito

#### CIRCA LA PENA DI CHI VENDE O COMPRA FUORI DELLA PIAZZA DI SAN MICHELE IN ORTO.

Item quod nulla persona vendat vel emat vel vendi vel emi faciat in civitate Florentie nec prope civitatem per miliarium aliquod granum, bladum vel legumen nisi in platea Orti Sancti Micaelis, et qui contra fecerit condemnetur in libris decem, et plus et minus ad voluntatem domini Defensoris. Et quilibet accusare possit et habeat medietatem pene, et teneatur credentia. Salvo quod biadaioli possint et eis liceat vendere ac emere et vendi et emi facere in civitate Florentie ad apothecas eorum ordeum, speltam, panicum, milium, fabas, legumina et civaias; non tamen tenere possint ultra duos modios ordei, spelte, panichi, milii vel fabarum, sub pena librarum vigintiquinque pro quolibet et qualibet vice qua ultra dictam quantitatem teneret.

[Statuto del Capitano del popolo, 1322-25, Lib. I, rub. 36; da: *Statuti della Repubblica fiorentina*, editi a cura del comune di Firenze da R. CAGGESE, I, *Statuto del Capitano degli anni 1322-25*, Firenze, Tipografia Galileiana, 1910, p. 36]